K Perkins (J.)

Capellanus

REGIÆ cujuſdam NAVIS Oſtendit quibus modis tractabatur a *Duce Nautiſque*; quod Illorum ſcelera Concionibus, ſatis acritèr perſtrinxerat.

QUIS furor ô Superi! Deſertâ *Nobilis* Æde,
In mare deſcendo: Sic mala fata trahunt.
Auſus ſum contra Nautas clamare nefandos:
Verbaque (vera *cano*) fulminis inſtar erant.
Diducto oſtendi fœdum velamine vultum,
Et mentis maculas, ingeniique mala.
Sæpe Ego reprêndi linguæ maledicta profanæ,
Detexique tuum, peſſima Turba, ſcelus.
Jugiter ante oculos poſui tua crimina: ſermo
In tenebris tanquam lucida flamma fuit.
Intima rimata eſt tacitæ penetralia mentis,
Et tetigit clauſum ſana medela malum.

Vertitur in rabiem Nautarum Turba rebellis,
Et furit ut ferro * bellua læsa ferox.

* Καὶ' ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ. 1 Cor. cap. 15. v. 32.

† *Unguentum* vili pretioſum *in ſtercore* fudi:
Et labor & ſtudium jam periêre meum.

Quid juvat ad ſurdos Cytharam tetigiſſe ſonantem?
Quid juvat Orpheæ fila canora lyræ?

† Vide Adag. apud Eraſm.

* Vide Adag.

† Vide Adag.

* *Æthiopem lavi*: † Scopuloſum *littus aravi*:
Effudi rapidis irrita verba notis.

* Vide Adag.

† Vide Adag.

* Ah! non conceſſam fatis *movi Camarinam*:
Movi ſanguineos in mea damna viros.

Tota Ratis nigrum præceps properavit ad Orcum,
Quoque trahit vitium, tramite carpſit iter.

Ipſe viam ſiſti, flectique tumentia juſſi
Carbaſa, ſed Zephyris irrita verba dedi.

Tenditis igniferas, miſeri, Phlegetontis ad undas:
Styx erit audaci meta ſuprema viæ.

Tartara nigra petunt temeraria lintea, dum;
Cocyti infernis mox peritura vadis.

Flecte Ratem ſubito: temeraria flectite vela:
Sæpius hæc monui, * *Tiphys* ut alter, Ego.

* Tiphys in Hæmoniâ Puppe Magiſter erat. Ovid.

Impia ſed monitis Nautarum Turba repugnat,
Et me blaſphemo vulnerat ore ferox.

Aſſuetus Ponto Ponto truculentior ipſo eſt,
Et ſibi dat ſimiles unda marina viros.

Ipſe Gubernator tumidis violentior undis
Pro monitis mortem ſæpè minatus erat.

Sæpè minatus erat ſacram divellere veſtem,
Deque meis humeris dilacerare togam.

Impia damnavi ſacro ſermone Duella:
Sermonem ſed Dux corripit ipſe meum.

Quid

Quid tibi cum noſtro, dixit, *certamine honoris,*
Improbe? diverſâ dirige dicta viâ.

Ora mihi clauſit; nec me pia verba loquentem
Suſtinet: ora mihi dura capiſtra premunt.

Frænavit linguam juſta & divina monentem:
Jurantum linguas vincula nulla ligant.

Quaque Die Domini potantibus ille ſodalem
Præbet, & a potu nomen habere ferunt.

Non Aras Domini, ſed Bacchi Numen adorat,
Et Bibulus tractat pocula plena mero.

Purgarique Ratem flammis crepitantibus ille
Imperat, & raro ſabbata ſacra colit.

Auriculas Caſtas obſcænâ voce fatigat
Nautarum Antennis peſſima turba ſedens.

Comprobat hoc Dux, ecce, ſcelus, ſceleratâq; dicta
Nautarum dictis prætulit ille meis.

Nuper luce ſacrâ, cum jam dormire *Tyrannus*,
Sum furtim ſanctas auſus adire preces.

Sed Crimen facinuſque precum Delator ad aures
Jam vigilis patulas pertulit ecce, Ducis.

Protinus in Conclave meum Lictore trahebar,
Et quatuor Clavis janua fixa fuit.

Pervigil ante fores ſtricto ſtetit enſe Satelles:
Hæc ſunt officii præmia ſola mei.

Regali, Dux, Me clauſiſti ſæpè Carinâ:
Et Conclave mihi Carceris inſtar erat.

Ore meo linguam clauſiſti ſæpe diſertam:
Claudere me tumulo Te voluiſſe ſcio.

Quod * *ſecui* mores audaci voce malignos,
Nunc fame, nunc ſiccâ torreor, ecce, ſiti.

* Secuit Lucilius urbem. Perſius.

In vênis ſanguis rariſſimus: ora dolendus
Pallor habet miſeri: labra colore carent.

Deficiunt vires nervorum: quilibet artus
Debilis, & vitæ flos cadit, ecce, meæ.

Aret ut amotis fœcundum nubibus arvum,
Cultaque, cum pluvias detinet Æther aquas;

Sic mihi marceſcunt Juvenilia membra vigorque,
Cum vix det tenues parvula menſa dapes.

Corruptum lymphis miſeri potamus Acetum,
Quod quicunque bibit, tormina ventris habet.

Cogimur (heu!) miſeri panem mordere Caninum:
Et ſaturat ventrem Pulte Thalia ſuum.

Nectare pro molli tenuem potavimus undam:
‖ Ovid. ‖Hæc mihi libertas, hæc pia lingua dedit.

Unctæ perdo miſer Regalia fercula menſæ:
† Vide Adag. † *Ulcera* quod *tetigi* putria ſtultus eram.

Abſtineo invitus cæſis animallbus, & me
Pupillum Samii Pythagoræ eſſe queror

Sæpè famem pellit coctum fornace legumen,
Quale dat immundæ Ruſtica verna ſui.

Præsbyter & Porcus dapibus ſaturantur iiſdem:
Nectare communi pellit uterque ſitim.

† Lilius — ſus atque ſacerdos Nunc ſcio † Grammaticus cur nos conjunxerat olim:
Communes nobis menſa dat una dapes.

Dux me contempſit primus, Contempſit & alter:
Nec nôrat numeros Ille vel Ille meos.

Sæpè meus latrat Stomachus, paſcente Catello:
Invideo Canibus, Dux, Ego ſæpè tuis.

Curâſti Catulos, & fercula plena dediſti,
Me miſerum vacuo ventre perire jubes.

Ergo

Ergo Ducis malo Catulus quàm Presbyter esse:
Odit Presbyterum: diligit Ille Canem.

Rumpimur invidiâ cùm Dispensator iniquus
Nautæ distribuit debita; nostra negat.

Dat mihi Butyrum fætens, at Caseus Illi
Porrigitur: Calidâ viscera bile tument.

Illi vim Cereris, sed Nobis porrigit undam:
Illi dat panem: mucida frusta mihi.

Obturat rimas aliis Lignarius Omnes:
In conclave meum plurima stillat aqua.

Et mea continuis perière volumina guttis,
Et gelidum pluviâ sæpe Cubile madet.

Ah! cecini surdis: accendi lumina Cœcis:
Non curat nostrum barbara Turba melos.

Temnit Mænalios Nautarum barbara versus;
Nec lucem cernit cœca Caterva meam.

Ipse mihi videor vitulos docuisse marinos:
* Inter *D*elphines sic Cytharædus eram.

* Inter delphines Arion. virg.

Sed magis infœlix: Nam quæ ceciniſſe voluptas?
Non audit numeros surda Colubra meos.

Sæpe lyram tetigi moturus saxa feraſque:
Sed † *movet auriculas* rudis Asella suas:

† Vide Adag.

Argutas quoties percussi pectine cordas
Incipiunt rudi rudere more Greges.

Eiddermannus

Instruit Arcadicos dum verbis Doctor Asellos,
Hunc petit ingrato turba proterva pede.

In Porcos Circe socios mutavit Ulyssi:
Vertitur in turpes Grex meus, ecce, sues.

Projeci * Porcis lapides Oriente petitos,
Et Canibus demens plurima sacra dedi.

* Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί. Matth. cap. 7. v. 6.

Con-

Conculcant Armenta meos ingrata Pyropos,
Et converſâ mihi vulnera dente ferunt.

‖ Vide Adag. Non novi infœlix ‖ *in candida vertere nigra* :
Non Aſſentator, non Paraſitus eram.

Difficile eſt nobis alienâ vivere quadrâ :
Ingenio pugnat ſordida Cœna meo.

† Perſius ſic. Malo equidem digito parcum † terebrare ſalinum,
Dummodo mens * *Catuli* crimine pura vacat ;

* Vivant Auturius illic Et Catulus &c. Juvenal. Et vacui ventris ſævum tolerare furorem,
Quàm dapibus paſci, Sardanapale, tuis.

Dicite, vos Fratres, Arís qui ſemper adeſtis,
Quique pias ſemper funditis ore preces :
His præbet ſimiles Hiſpania veſtra querelas?
Temnit Presbyterum Navita quiſque ſuum?
Vos etiam teſtor, Fratres, qui Claſſibus iſdem
Creditis inſano corpora veſtra Mari :
Navibus in veſtris nullum diſcrimen habetur
Inter Cerdones Presbyteroſque pios?

* Anglicè a *Swabber* Periphraſis. Cœna eadem eſt illi qui * Navem ſtercore purgat,
Atque ſacerdoti quem toga longa tegit?
Dedecus an tantum *Norfolkia* ſola meretur?
Illa quidem Lauros temnit, & Illa Togas.
Det mihi pacatam tranquillo Pectore mentem :
Det non iraſci : det mihi cuncta pati.

J. PERKINS, A. B.

LONDINI, Excudebat *B. G.*
Anno. Dom. 1697.